

& intrepide pronunciavit. Quis enim eos Scripturae anteferet, nisi traditionum humanarum miserum sit & infaustum mancipium? In reliquum de iis pie & modeste ubique sentit. conf. de hac adversus Lutherum accusatione fusius JAC. LAURENTIUM, contra SANDAEM in Apologetico p. 365. Et quis non colligere posset integra plaustra convitiatorum, quae in Patres a Pontificiis sparsa fuerunt, qui eorum adoratores nihilominus videri volunt, ita ut nemo inter praestantissimos Patres fuerit, quem sine accusatione dimittant, eos solos recte sapere arbitrentur, qui invalescente Romano dominio scripsissent. Porro & Brentio Nestorianismus a BELLARMINO tribuitur, quod adhibuerit locutionem, Filium DEI assumpsisse Filium hominis. Quasi non ipsi intelligant in ista Phrasi, etiam Patribus quibusdam adhibita, ad veritatem humanae naturae exprimendam, non personam sed naturam ἀνθρώπου sub filio hominis significari, & quis magis strenue BRENTIO doctrinam sinceram adversus Nestorianos tum resurgentes propugnavit? quod ejus volumina insignia testantur, mox pari injuria nos pro EUTYCHIANIS venditant, a quorum errore vel ipsa Nestorianismi imputatio nos liberare poterat, ubi enim ullam confusionem naturarum, aut transmutationem & simile quid docuerunt nostrates, qui tum contra Eutythianos, tum Monothelitas ipsorum propaginem tot concertationibus depugnarunt? Et nihilominus Autores Spec. Brandenburgi nobis cum Bellarmino eam imputant. Ist nicht die Ubiquität/ welche die Lutheraner behaupten wollen/ eben die alte Kezerey Eutythetis, welche in den Chalcedonensischen Concilio einmüthig verworffen worden/ wie denn auch solchen Irrthum der Ubiquität/ der gottlose Kezer Almaricus welcher weder Hölle noch Himmel noch die Auferstehung des Fleisches geglaubet hat/ vertheidiget. p. 18.

Dum